



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SEGOBRIGAE CATHEDRALE TEMPLUM DIOECESIS  
SEGOBRICENSESIS-CASTELLIONENSIS**

**BEATAE MARIAE VIRGINI IN CAELUM ASSUMPTAE DICATUM**

**TITULO AC DIGNITATE BASILICAES MINORIS INSIGNITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Segobrigae, in antiqua et praeclara quidem Hispaniae urbe, cathedrale templum exstat Beatae Mariae Virgini in caelum assumptae dicatum, architecturae genere et historia notum atque centrum actionis pastorales et christianae vitae istic degentium fidelium. His causis motus Venerabilis Frater Iosephus Mariae Cases Deordal, Episcopus Segobricense-Castellionensis, litteris die XI mensis Septembris superiore anno datis, vota quoque expromens cathedralis Capituli omnisque cleri et populi, ab hac Apostolica Sede petivit ut eadem sacra aedes ad Basilicae Minoris dignitatem eveneretur. Nos igitur cupientes enixas preces audire ac singulari dilectionis Nostrae documento idem templum decorare, iis probatis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, de re statuit, Apostolica potestate usi, templum cathedrale Segobricense-Castellionensis dioecesis Beatae Mariae Virgini in caelum assumptae dicatum, Basilicae Minoris titulo ac dignitate honestamus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae talium aedium sunt propria, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis lunii anno MCMLXVIII evulgatum, sunt servanda. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Maii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---